



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

X. An & quomodo fidelibus peccatoribus semper dum vtuunt, gratia
sufficiens tribuatur, qua conuerti, & iustificari possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

modo sufficiens auxilium ad perseverandum confert.

Et ita etiam expeditur difficultas, quæ hic oriri potest in homine lapsa ex parte concupiscentiæ, & corporis mortalis impediementis, quæ difficillimam reddunt boni operandi perseverantiam. Nam etiam ex hac parte non deest iustis auxilium sufficiens, quia hæc perseverantia, non tota simul occurrit, sed successivè, & per singulos actus, & occasiones servandi præcepta, seu non peccandi; ergo ut ex parte Dei detur, vel offeratur iusto hoc auxilium sufficiens, satis est, quod per singulas etiam occasiones, non desit tale auxilium: ostensum est autem quomodo detur in singulis, ergo simpliciter datur, vel offertur pro omnibus & pro

Datur actu gratia sufficiens in occasionibus præsentibus, pro futuris offertur à Deo.

tota perseverantia & salute. Dico autem datur, vel offertur, quia in occasionibus iam existentibus & præsentibus, actu etiam & in præsentia datur: pro futuris autem offertur, quantum est ex parte Dei. Quod in usu, seu praxi, ut ita dicam, sic potest explicari. Nam postquam homo iustificatus est, non perdit iustitiam nisi peccando mortaliter contra aliquod præceptum, unde quando non occurrit præceptum affirmativum pro tunc obligans, nec moralis occasio peccandi, contra Præceptum negativum, facile potest iustus necessaria ad perseverandum tunc facere per gratiam, quam habet, cum primum autem occurrit occasio servandi præceptum, vel peccandi mortaliter: tunc pro illo definito tempore, non deest illi auxilium internum sufficiens ad bene operandum, vel declaratum est, & ita nunc illo actu datur auxilium præueniens, seu excitans sufficiens. Aut ergo homo non vritur bene illo auxilio sufficiente, vel abutitur illo, vel cooperatur illi. In priori casu amittit gratiam, & definit esse iustus, ei quæ imputatur casus & perseverantia amissio, & non Deo, quia iam habuit auxilium sufficiens à Deo. Postquam verò iam est iniustus, privatur quidem propriis iustorum auxiliis, quæ sine dubio maiora sunt: quomodo autem postea recipiat auxilium sufficiens, ad questionem capitis sequentis pertinet. Si autem talis iustus in illa prima occasione bene usus fuerit illo auxilio diuino, offertur illi auxilium sufficiens: & fortè vberius pro altera occasione proximè succedente, & illa oblata datur ei auxilium sufficiens accommodatum illi, & ita consequenter de reliquis usque ad finem vitæ: unde fit, ut quando per hominem iustum non steterit, nunquam illi desit auxilium sufficiens ad conservandam gratiam, & consequenter ad æternam salutem consequendam.

Solutur difficultas initio proposita.

Reprobi non accipiunt perseverantiam, sed potestatem perseverandi.

Ad difficultatem in principio positam patet solutio ex dictis. Nam aliud est accipere actuale perseverantiam, aliud accipere potestatem perseverandi, seu, quod idem est, auxilium sufficiens ad perseverandum. Nam illud prius pertinet ad gratiam efficacem propriam prædestinationem, hoc verò posterius pertinet ad gratiam sufficientem communem omnibus, & ideo licet isti reprobi non accipiant perseverantiam, accipiunt nihilominus perseverandi potestatem. Et quod non recipiant actum perseverandi, non est ex Deo, sed ex ipsis, neque ideo non perseverant, quia reprobi sunt, sed non perseverando sunt reprobi, ut rectè Prosper docet supra, & Fulgentius ferè toto illo lib. 2. ad Monim. Quomodo autem non obstante perseverantia sit speciale donum, & in quo consistat, inferius suo loco tractabitur.

CAPVT X.

An & quomodo fidelibus peccatoribus semper dum vivunt, gratia sufficiens tribuatur, qua converti & iustificari possint.

Regula generalis est, fidelibus in peccato existentibus non negari auxilium sufficiens, quo penitentiam fructuosam agere possint, & per gratiam in gratiam redire. Hæc regula satis probata videtur ex generali principio in cap. 8. demonstrato, propriè verò & in specie sumitur ex omnibus illis Scripturæ locis in quibus peccatores, præsertim Deum agnoscentes & in eum credentes, ad penitentiam vocantur, ut est illud Ezechiel 33. Fili hominis, dic ad domum Israël, & infra, Vno ego duxi te Dominus Deus, nolo mortem impij, sed ut convertatur a via sua, & vivat. Aut ergo illa voluntas Dei est absoluta, & dat auxilium efficax, aut est conditionata, seu antecedens, & dat saltem auxilium sufficiens. Unde illud 2. Petr. 33. Patienter agit Deus propter vos, ne aliquem perire, sed omnes ad penitentiam reuerii; & illud Pauli Rom. 2. Ignoras, quia benignitas Dei ad penitentiam te adduxit, & consonat illud Ierem. 3. Tu formatus es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Non enim illam ad reversionem invitaret, nisi paratus esset ad eandem reversionem illam iuvare, similique sunt infinita vulgaria loca, ut Zachar. 4. Convertimini ad me. Ecclesiast. 5. Ne tardes converti ad Dominum, & Psalm. 49. Hodie si vocem eius audieris, quod allegans & locupletans Paulus ad Hebr. 3. ait, Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, ubi dicens, donec hodie, videtur intelligere quando præsens tempus, & vita durat, ut Chrysostomus & alij exponunt.

Veritatem etiam hanc confirmat Concil. Trid. in sess. 6. & 14. nam licet expressè non utatur signo distributio, dicens omnibus peccatoribus dari hoc auxilium, tamen cum indefinitè & sine limitatione generalem doctrinam tradat, eamque confirmat allegatis Scripturæ locis, sine ulla dubitatione illam generaliter intelligit. Dicit ergo in sess. 6. cap. 14. Qui ab accepta iustificationis gratia, per peccatum exciderunt, rursus iustificari, poterunt. & can. 29. anathemate damnat, qui dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere. Et sess. 14. cap. 1. Quoniam (inquit) Deus diues in misericordia, cognovit signum nostrum, illis etiam vita remedium consulit, qui sese postea (id est, post iustificationem) in peccati servitutem, & demonis potestatem tradidissent, utique remedium penitentiae, de quo statim subdit, licet non semper fuerit Sacramentum, fuisse tamen vniuersis hominibus, qui se reportati aliquo peccato inquinassent, quousque tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessarium. & infra id confirmat verbis Ezech. 18. Convertimini, & agite penitentiam, &c. quæ verba ad omnes peccatores dicta intelliguntur. Patres etiam, qui vniuersaliter de omnibus hominibus lapsis loquuntur, ut cap. sequenti videbimus: à fortiori fideles peccatores comprehendunt, & specialiter hoc ex professo probat Cyprianus in lib. de lapsis. Rationes etiam cap. 9. allatæ ex voluntate Dei salvandi homines, & ex Christi redemptione, & ex Dei misericordia & iustitia hanc regulam probant.

vt ex dicendis in duobus punctis sequentibus euidens constabit.

Ad Deum
Duo enim circa hanc regulam supersunt explicanda, vnum est quomodo praebeat Deus hoc auxilium omnibus peccatoribus: aliud est, vtrum ab hac regula exceptionem aliquam facere liceat. In priori puncto ratio dubitandi est, quia hoc auxilium sufficiens etiam in his, qui iam credunt, incipit ab excitante gratia, vt aperte docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. vbi docet exordium iustificationis a vocatione Dei sumi, & cap. 4. declarat hoc non solum esse verum de tota prima iustificatione, quae incipit ab initio fidei, sed etiam de iustificatione a peccato, post priorem iustificationem, atque adeo post comparatam fidem commissam. *Iustificari* (inquit) *potuerunt cum excitante Deo*. Et can. 3. definit etiam poenitentiam haberi non posse, *sine praenuntio Spiritus sancti inspiratione*, quae est gratia excitans, vt supra diximus. Hae autem gratia excitans non datur semper omnibus peccatoribus etiam fidelibus: id est, non datur omnibus diebus, horis, & momentis, non potest assignari certum tempus, in quo datur: quando ergo, vel quomodo datur haec gratia sufficiens? Et declaratur, augeturque difficultas quia vel auxilium sufficiens datur semper actu & in se, & hoc per se est incredibile: vel tantum offertur ex parte Dei, & hoc etiam dici non potest, quia aliquid ex peccatore ex parte hominis, vt actu daretur ei tale auxilium, quod repugnat, quia illud ipsum fieri non potest, nisi per gratiam excitantem; iuxta doctrinam Concilij Araus. ergo neutro modo datur tale auxilium.

In hoc puncto in primis dicendum est, auxilium non ita dari, vt continuè ac semper inhi homini per actualem gratiam excitantem; hoc communiter receptum est, vt refert, & sequitur Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 6. & Molina q. 14. a. 13. in concord. disp. 9. & 10. videturque manifestum, quia gratia excitans consistit in actibus vitalibus, qui non sunt sine sensu & cogitatione ipsorum: nam ad hoc ipsum dantur, vt excitent hominem, vt ex dormiente faciant vigilantem, & attendentem, quod non potest esse sine aliqua experientia talium actuum. Ex ipsamet autem experientia constat, non omni tempore, vel omnibus momentis fieri; vel percipi a peccatoribus in se ipsis tales actus ergo non recipiunt isto modo semper & continuo hanc gratiam sufficientem. Respondetur ponderi potest ipsos quidem peccatores semper actu recipere has actiones, aliis vero rebus magis attendentes, illas non percipere, neque sentire. At hoc incredibile est, tum quia ipsamet attentio ad res alias impedit intentionem ad hos actus gratiae, qui sine attentione fieri non possunt. Vnde naturaliter & sine miraculo impossibile est continuè exercere hos actus, & aliis rebus & negotiis humanis attendere. Maxime, quia haec attentio semper est vehemens, & cum magna sollicitudine & ad res inferiores & sensibiles, quae maxime mouent. Tum etiam, quia si tales actus tunc dantur, quando percipi non possunt, non poterunt dici sufficientes ad conuertendum talem hominem; ergo illo modo dati, non possunt dici gratia sufficiens, imò sunt inutiles, quia hominem non ita mouent, vt attendere faciant, & vix ita possunt dari sine miraculo; ergo superflue fingitur tale miraculum; seu talis modus prouidentiae per continuam & nunquam intermissam excitationem, quae nec statui viatoris debita est; nec modo operandi humano accommodata: vnde nec etiam iustis tribuitur; sicut enim dormientes non excitantur actu ad bonum operandum, ita etiam dum sunt inimum intenti alii rebus, vt studiis, vel negotiis actualiter, non excitantur. Denique haec continua excitatio

non solum non cognoscitur experimento; verum etiam si illi repugnat, & alioqui diuina reuelatione non haberetur; cur ergo fingenda est? Minor patet, quia nec Ecclesia id docet, nec ex Scriptura id colligitur; quin potius ipsa Scriptura hos motus non semper dari indicat: dicitur enim Psal. 49. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Nam ille modus loquendi sub conditione indicat vocem Domini non semper insonare, & Apocal. 3. dicit Deus, *Ego sto ad ostium, & pulso*; quae metaphora significatur Deum semper stare ad ianuam, non tamen semper pulsare, sicut homo prudens facere solet. Vnde, (vt supra dicebam,) Ecclesia saepe orat Deum vt nos excitet, & vt peccatores vocet; signum ergo est non semper Deum in actu facere.

Contra hanc vero assertionem obici potest: nam sequitur peccatores non posse in qualibet hora & momento vitae suae poenitentiam agere; si velit, nec velle posse. Consequens est falsum; ergo. Sequela patet, quia sine auxilio excitante peccator non potest agere poenitentiam; ergo si in quolibet momento non habet gratiam excitantem, nec etiam potest in quolibet tempore agere poenitentiam, cum desit illi principium dantis posse, & sine quo non potest. Nec dici potest quod habeat illud auxilium in potestate sua, quia tale auxilium debet incipere a Deo, non ab ipso homine; Deus autem, vt supponitur, non dat illud; neque etiam potest dei, quod sit paratus dare, quia tunc expectare ab homine vt aliquid faceret, quo obtineret illud auxilium: hoc autem dici non potest quia homo non potest moueri, aut se disponere ad hoc auxilium excitans, quia tale meritum debet procedere ab ipso auxilio excitante; ergo quando illud actu non datur, homo est simpliciter impotens ad agendum poenitentiam, atque ita, si non omnibus momentis, & temporibus datur, non potest homo omnibus temporibus agere poenitentiam.

Falsitas autem consequentis probatur. Primo ex illis Scripturae locis, in quibus hortamur ad agendum celeriter poenitentiam, & promittitur remissio illam agenti in quacumque hora: nam huiusmodi exhortationes & promissiones supponunt potestatem. Sic Ezech. 33. *In quacumque die, & Ecclesiast. 5. metardes conuertere, &c.* Secundo, ex Concilio Lateranensi in cap. firmiter, de summa Trinitate, dicente homines baptizatos post lapsum semper posse per poenitentiam reparari: si ergo semper possunt; ergo in qualibet hora, & momento possunt. Tertiò, quia alias esset homo in hac vita pro aliquo tempore extra statum salutis; nimirum pro illo in quo actu non excitatur. Dices non esse extra salutis statum, quia licet tunc non excitetur, postea excitabitur. Sed contra: ponamus hominem in fine vitae, qui vltimam accepit excitationem, & noluit conuertere, ille enim reliquo tempore extra statum salutis manet, quandoquidem amplius excitandus non est. Nec potest negari, quin durante vita hominis facientis in peccato, aliqua excitatio sit futura vltima, quia omnes excitationes vitae sunt finitae; & terminum habent: terminus autem est vltima excitatio, quae necessario futura est in aliquo instanti ante primum non esse hominis, inter quae duo instantia mediat tempus: ergo saltem illo tempore erit homo extra statum salutis, & fieri potest, vt sit per magnam moram, quia si Deus non semper excitat, potest per plures dies non excitare, idemque poterit facere cum homine in fine vitae. Denique ob hanc forte difficultatem Concilium Senon. in decret. fidei cap. 15. videtur expresse dicere contrariam sententiam: cum enim docuisset auxilium excitans, seu praenuntio esse ad operandum salutem necessarium, ex qua necessitate videbatur sequi hominem

Obicitur contra assertionem.

Confirmatur obiectio ex S. Scriptura.

Responsio oppugnat.

non habere libertatem ad talia opera, quia non semper habet tale auxilium, ad hanc tacitam obiectionem excludendam adiungit. *Hac tanta gratia necessitas libertati non repugnat, quia Deus semper in promptu est, & nec momentum praterit in quo non siet ad ostium & pulser.* & ad idem alludit Hieronymus epist. ad Cresiphontem, dicens, *non mihi sufficit quod semel donauit, nisi semper donauerit.*

5. Antequam his obiectionibus respondeā, addo alteram assertionem, ex qua facilius erit responsum. Dico ergo Deum, quantum est ex se, pro nullo tempore denegare peccatori excitationem ad penitentiam; dare autem illam temporibus opportunis. Priorem partem probat obiectio prima posita, si sensus illius partis recte intelligatur. Aliud est enim non dare, aliud denegare; aliqua enim non confert Deus, quæ paratus est dare, quando necessarium, vel opportunum fuerit, ideoque licet extra illam occasionem non det excitationem, non ideo simpliciter denegat. Dicitur enim denegare quando proposito absoluto decreuit non dare quicquid ex parte hominis, vel aliarum causarum occurrat. Imò quando Deus ex se aliquid denegat, etiam occasiones dandi fugit, vel impedit. In hoc ergo sensu dicimus pro nullo tempore huius vitæ denegare Deum peccatori auxilium excitans ad penitentiam, esto non semper actu illud inspiret. Hoc probat illa ratio, quod homo quandiu uiuit est in via, & non est obitatus, nec desperatus; ergo necesse est ut saltem ex parte Dei illi pateat adiutus ad salutem, qui aditus in sancta excitatione consistit.

Et confirmari hoc potest verbis Sapientis Ecclesiastici 8. Numerus dierum hominum ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputari sunt, & sicut calculus arena, sic exigui anni in die eius. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effudit super eos misericordiam suam, videt presumptionem cordis eorum, quoniam mala est, & cognouit subuersionem cordis eorum, quoniam nequam est. Ideo adimpleuit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viam equitatis. Per quæ verba ostendit sapiens totum huius vitæ tempus esse tempus propitiationis, & Deum paratum esse ad miserendum, ac proinde nunquam ex se negare auxilium penitentiae, & D. Prosper ad obiectionem 6. Vincit. in hoc constituit discrimen inter statum damnationis & vitæ, & ad 15. ait, Nemini autem Deus correctionis admittit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. Eandemque doctrinam late confirmat ad excerpta Genue. capite ultimo eam ex Augustino sumens libero de bon. perseuer. capite. 15. & 22. eandem habet Augustinus lib. de natur. & grat. cap. ubi etiam refert optima verba sua ex lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18. quæ eandem sententiam continent: quam etiam Concilium Senon. & Hieronymus locis citatis intendunt.

6. Altera pars assertionis sequitur ex præcedenti à sufficiente partium enumeratione. Nam Deus de se paratus est ad dandam excitantem gratiam, & non semper actu dat; ergo saltem daturus est temporibus opportunis, iuxta illud Psalm. *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Ut autem explicemus hæc opportuna tempora, aduerendum est quod in superioribus diximus Deum dare hanc sufficientem excitationem, vel per externum verbum suæ prædicationis, aliæve similia obiecta, ut sunt exempla Sanctorum, Dei beneficia, tribulationes, &c. vel merè interius prioremque modum esse ordinarium & communem, posteriorem verò magis peculiarem & extraordinarium. Vnde ad priorem modum excitationis relicta sunt à Christo media, & veluti ordinaria organa, quibus Deus vti tur ad excitandos peccatores ad penitentiam. Dicimus enim Deum de se paratum esse ad excitanda

corda peccatorum per huiusmodi causas, nam quod in ipso est, pro omnibus illas instituit, & non de se impedit, quominus talium causarum sonus & vox seu actio ad omnes perueniat. Et quod caput est, quoties similis occasio occurrat, in qua homo per huiusmodi ordinarias causas exciteretur, Deus actu etiam interius excitat cor: & quantum credibile est, vnum ex temporibus opportunis, in quo Deus tangit cor, & actu pulsat interius, est illud, in quo verbum externæ prædicationis, ut aliud obiectum aequiualens externis incipit excitare homines. Nam, ut supra etiam retigi, ista excitatio exterior cum sola virtute naturali intellectus nihil valeret, & illo instrumento altiore excitationem in mentem efficere. Quod ergo tunc Deus non neget suæ gratiæ influxum, omnino credendum est. Tum, quia illud videtur esse tempus maxime opportunum; tum etiam, quia illa externa excitatio est quasi causa secunda, à Deo ordinata ad illum effectum, & interna excitatio Dei sufficiens, est quasi necessaria concursus vel adiutorium requisitum, ut illa causa possit effectum illum consequi, ergo ad ordinariam prouidentiam gratiæ spectat, ut Deus tunc conferat auxilium ex parte ipsius necessarium.

Præterea confirmatur & declaratur in hunc modum, quia dubium non est quin Deus sapientissime utatur hoc medio ad conuertendos peccatores per verbum prædicationis, vel perlectionem aliquam sacram, vel per externum bonum exemplum, aut obiectum incutiens timorem, ut est mors alicuius amici & similia. Ergo oportuit certam aliquam legem prouidentiae diuinæ gratiæ in hoc esse statutam, ut omnes qui exterius sufficienter excitantur, inexcusabiles hant si non cooperentur. Nam si stante exteriori excitatione, nulla esset certitudo de interiori, sed hoc esset positum in solo Dei arbitrio, non posset cum certitudine imputari homini, cui proponitur exterius fides sufficienter, etiam si non crederet, quia fortasse non habuit interius sufficientem auxilium. Denique dici posset de Pharaone, v. g. cuius vocatio exterior, ut Augustinus ait, fuit cognitio beneficiorum externorum Dei per Ioseph. Contrarium autem ex facto illo colligimus: nam eo ipso quod exterius sufficienter vocatus fuit, docet Scriptura grauer peccasse, resistendo vocatoni; ergo dicendum est, non defuisse illi interiore vocacionem sufficientem. Denique supponimus ex verbis Christi Domini Math. 11. *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, iam in diebus & cinere penitentiam egissent;* quæ reprehensio fundamentum non haberet, nisi supponeretur cum illis virtutis externis datam esse sufficientem excitationem internam, cum qua alij forent conuertendi.

Idem supponunt illa verba Christi Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Haberent autem, si externa excitatio non esset sufficiens & exteriori accommodata. etiam optime persuadent verba Pauli Roman. 10. quæ ipse refert ex Deut. 30. *Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbum fidei, (ait Paulus,) quod prædicamus.* Sicut enim eum auditur, corde recipi & ore confiteri debet: ita cum prædicatur non tantum ad aures corporis, sed etiam ad aures cordis predicari debet ut sufficienter proponatur, quod non fit sine interna Dei excitatione sufficienter, quia verò hæc cum prædicatione externa coniuncta est, ideo Paulus ibidem hanc facis esse putat ad redarguendos incredulitatis eos, qui audientes Euangelium non obediunt illi, & hoc est quod ait, *sed nunquam audierunt, & quidem in omnem terram exiit sonus re-*

Totum tempus vitæ est tempus propitiationis ex SS. Prospero & Augustino.

6. Probatur secunda pars assertionis ex Psalm.

ram. Et ad hoc ipsum alia Scripturæ loca inducit. Idemque alia confirmant quæ sequenti capite expendemus. Denique si propositio sufficienter obiecto externo fidei, vel pœnitentiæ Deus daret certalege auxilium internum sufficiens, quando non daret, iam per se ipsum, & non per hominem staret ipsius conversio; hoc autem dici non potest, ut ostensum est, ergo pro regula certa habendum est; Deum in huiusmodi opportunitate semper dare excitationem internam sufficientem exteriori vocationi accommodatam. Quod addo, quia hæc interdum potest esse immediate ad pœnitentiam, & tunc excitatione interior est immediate sufficiens ad illam; aliquando verò est vocatio exterior ad aliquod opus virtutis, ut ad petendam pœnitentiam, & tunc auxilium internum proximè erit sufficiens ad orationem, & remote ad pœnitentiam per orationem impetrandam, & sic de aliis.

Ad excitationem autem merè internam non tam facile possumus certa tempora opportuna designare, pro quibus certa sit divina excitatione interior ad pœnitentiam. Vnde maximè videtur pendere ex arbitrio Dei, qui singulis distribuit hæc extraordinaria dona pro ut vult. Duo tamen probabiliter dicere possumus, Vnum est, tempus aliquod esse pro quo pœnitentia est absolute necessaria ad salutem æternam, ut si homo fidelis in peccato existens in articulo mortis constituitur, & in tali tempore credibile valde est, etiam si desint motiva externa quæ ad pœnitentiam excitent, Deum statim pulsare cor, nec deesse vnumquod homini in tali opportunitate, quin ita illum excitet. Ratio est, quia tunc illud auxilium est valde necessarium ad salutem, Deus autem in rebus adeo necessariis non deest, ut ex testimonio Scripturæ cap. 2. allegatis, in quibus Deus sufficiens auxilium omnibus promittit, colligitur. Et hoc à fortiori confirmabitur ex his, quæ cap. sequenti dicemus. At verò extra hunc necessitatis articulum, excitatione actualis non est ita necessaria ad salutem, & ideo si per causas externas & ordinarias gratiæ non inchoatur, non est, cur dicamus à Deo magis hoc tempore, quam illo dari. Vnde cum non semper, sed sæpe illam tribuat dicendum videtur, hoc facere pro arbitrio suo. Credibile autem est in omni opportunitate bene, ac pie operandi, non deesse homini hoc auxilium. Nam, ut dixit Hieronymus Epist. 138. ad Cyprian. parum ab initio, Deus ita condidit hominem liberi arbitrij, ut suam per singula opera gratiam ei non negaret.

Possumus denique addere, licet Deus hanc gratiam conferat beneplacito suo, nihilominus sæpe respicere ad bona opera per priorem gratiam facta ad ipsam, ut ad dispositiones peccatoris, quia brantem vel facientem elemosynam frequentius Deus excitat ad pœnitentiam per internas inspirationes, quam eum, qui talia opera negligit. Nam in hoc sensu dicitur elemosyna remittere peccata. Et idem de remissione iniuriarum, & de aliis operibus similibus. Neque in hoc est periculum Semipelagianæ erroris, quia agimus de homine fidei, qui per fidem bene operando potest impetrare vteriora auxilia. Vnde necesse est, ut illudmet opus, quo se disponit ad tale auxilium, vel illud impetret, sit aliquo modo ex fide iuxta dicta superius lib. 2. ex quo etiam fit, ut ad tale opus, præcedat alia prior gratia excitans fidem ipsam, & per fidem, voluntatem ad elemosynam, vel aliud simile opus faciendum, quod satis est, ut per tale opus possit peccator impetrare excitationem merè internam proximè sufficientem ad pœnitentiam dandam etiam eo tempore, in quo non est simpliciter necessaria ad salutem æternam. Hoc ergo modo potest talis actualis gratia obtineri, quamuis semper determinatio temporis & mo-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

menti in particulari ad talem gratiam præbendam, per liberam Dei voluntatem facienda sit, quia non est necesse ut detur, statim ac homo bonum opus facit, nec aliud certum tempus potest ex vi meriti, seu imperationis hominis designari.

Ex quibus facile ad obiectiones factas contra priorem assertionem potest responderi. Cum enim inferatur hominem in eo momento, in quo actu non excitatur ad pœnitentiam, non posse converteri, distinguendum est de pœnitentia proxima, & remota. Concedo ergo non posse, proximè, quia non habet in se auxilium dans posse, ut rectè ibi probatur. Neque hoc est inconueniens, sed necessarium consideratâ conditione humanæ naturæ. Nam homo, cum dormit, non potest proximè pœnitere, neque etiam, cum actus est nimis intentus aliis rebus & negotiis, nihilominus tamen semper, & quolibet tempore huius vitæ potest homo pœnitentiam agere, & cum fructu converteri, saltem potestate remota, quia semper est in statu viæ, & consequenter est capax obinendi salutem. Hæc autem potestas licet aliquibus temporibus, vel momentis remota sit, temporibus opportunis sit proxima, & semper ex parte Dei est paratum proximum auxilium modo explicato, & hoc satis est, ut peccator quando est in via, possit saluari. Vnde ad loca Scripturæ respondetur, in eis præcipue promitti remissionem peccati agenti pœnitentiam: supponunt autem potestatem agendi pœnitentiam dicto modo. Et ad eandem causam mouentur peccatores, ne differant pœnitentiam reserectum eorum temporum & opportunitatum, in quibus ad illam vocantur; ideo enim dicitur, Hodie si vocem eius audieritis, &c. & illi reprehenduntur, qui vocati resistunt, vocant, & renuntiant, Proterb. 1. ad cap. firmiter responsum est.

Ad vltimam, negatur sequela, quia homo non constituitur extra statum salutis, quoties actu non excitatur, quia semper est in statu, in quo possunt causæ occurrere, per quas Deus solet excitare, & semper est capax internarum excitationum Dei. Ad illam verò replicam de vltima excitatione respondeo solùm inde concludi hominem illum in eo statu fore damnandum, quia non est acturus pœnitentiam, vnde fit, ut ex hypothese quod illa excitatione erit vltima, & illi resistit, non possit saluari. Ex quo vltimè sequitur, ut licet ille peccauerit peccato impœnitentiæ, non consentiendo illi vltimæ excitationi, nihilominus illa transacta iam non committit nouum impœnitentiæ peccatum, quia nec aduertit, nec ita excitatur, ut advertere possit. Ex his verò non fit illum hominem etiam pro illo tempore esse extra statum salutis, quia ex vi status est capax remissionis peccati, si pœnitentiam agat: quod autem illam non sit acturus, est per accidens, & ex eius negligentia, vel malitia. Vnde simpliciter loquendo etiam posset in eo breui tempore homo ille pœnitentiam agere ex vi generalis providentiæ gratiæ. Nam licet futurum sit, ut amplius non excitetur per generales causas, seu media gratiæ, id est repudiata accidentarium & contingens, & non prouenit ex reprobatione, seu ordinatione diuina positua, (ut amplius sic dicam, sed ex præscientia & permissione. Præuidit enim Deus post illam excitationem non fuisse illum hominem excitandum per aliqua ordinaria media externa existentia in Ecclesia, & permisit sine noua excitatione mori, noluitque amplius illum interiorius excitare, quia satis illi prouidit excitando permittendo illi in illo articulo necessitatis, & tempore satis ne Dei. morti vicino.

Ad vltimum ex Concil. Senonen. respondetur, Responde. Concilium loquutum fuisse eodem modo, quo tur ad Concil. Senon. Scriptura, quam allegat: nam Deus semper est ad ostium cordis paratus ad pulsandum, non tamen continuè pulsat, sed temporibus opportunis, idque

Y 2

latis

7.
Soluuntur
obiectiones factæ.

Pœnitentiæ
duplex proxima, & remota.

Responsio
ad locos S.
Scripturæ.

Quod peccator post vltimam excitationem non excite-
retur amplius
id non prouenit ex
posita reprobatione, sed
ex præscientia, &
permissione Dei.

satis est, ut gratia necessitas vsui libertatis non repugnet, ut infra dicitur.

8. Alia dubitatio circa propositam generalem regulam est, utrum ab illa regula exceptio aliqua fiat, vel admittenda sit, quod est quærere, an aliqui homines etiam ex fidelibus propter grauissima peccata interdum deferantur à Deo pro aliquo humus vitæ tempore, ita ut sine auxilio sufficiente relinquantur. De hoc verò puncto disputavi in 4. tomo de Pœnit. disp. 8. & ferè nihil occurrit addendum; ibi enim adnotavi duobus modis posse hanc exceptionem intelligi. Primò ex parte ipsorum criminum, seu peccatorum, ita ut sint aliqua irremissibilia, vel multitudo aliqua peccatorum certa, quæ ex lege Dei puniantur hac pœna priuationis omnis auxilij in hac vita in hoc sensu ostendi esse certissimum, non esse talem exceptionem admittendam, & nonnulla Scripturæ loca subobscura declaravi. Alio modo potest intelligi exceptio ex parte personarum, quia potest Deus aliquos ita punire, & dubium est, an interdum faciat, & sic diximus rem non esse tam certam, nihilominus veram omnino esse sententiam, quæ talem exceptionem admittit, quam capite sequenti confirmabimus, ubi ostendimus, etiam infideles non relinqui à Deo in hac vita sine sufficiente auxilio gratiæ, ut conuerti possint; ergo multo minus relinquitur fideles quantumvis iniquos, & peccatores sine sufficiente auxilio.

9. Dicendum ergo est nullam esse admittendam exceptionem à generali regula posita, quia cum sit regula & voluntas Dei tot modis sit nobis in Scriptura tradita, & per Ecclesiam declarata, non licet nobis aliquem hominem ab illa excipere, nisi per eandem Scripturam, vel Ecclesiam æquè de exceptione constet, vel ratione conuincatur, sed nullo ex his modis talis exceptio, ut ex dicendis in capite sequenti patebit, ostendi potest: ergo. Ratione item declaratur, quia auxilium sufficiens aut est ad non peccandum iterum, vel ad resurgendum à peccato commissio: neutro autem modo negatur peccatori in hac vita auxilium sufficiens: ergo. Minor quoad priorem partem de peccatis futuris declaratur in hunc modum. Quia sermo esse potest de auxilio sufficiente ad vitanda singula peccata in particulari, seu seruandum præceptum in omni occasione particulari, in qua eius obligatio occurrit: vel est sermo de perseverantia longi temporis in obseruatione præceptorum sine lapsu. Priori modo non destituitur fidelis auxilio sufficiente in aliqua certa ac definita occasione peccandi vel seruandi præceptum obligans; quia vel sine illo auxilio potest vitari hic & nunc peccatum, & seruari præceptum, ut contingere potest in peccato contra solam legem naturalem, non urgente graui tentatione, & tunc licet negetur auxilium speciale, non negatur necessarium, sed abundans, & ideo non tantum peccatori, sed etiam iusto potest interdum non dari, quia tunc auxilium, (ut ita dicam,) generale est sufficiens, & hoc non negatur. Vel illud auxilium gratiæ est simpliciter necessarium propter tentationem urgentem, vel quia præceptum est supernaturale, & tunc si negaretur auxilium sufficiens in certa, & determinata occasione, homo non seruans præceptum non peccaret, quia sine sufficiente auxilio non potest. Qui autem non facit, quod non potest, non peccat: quod maxime verum est, quando absolute non potest in particulari actu & occasione, ut in lib. 2. latè dictum est. At verò nullus peccator excusatur ab obseruatione præcepti, vel à culpa in transgressionem eius, propter priora peccata, neque propter obdurationem suam, nec potest verè dicere, *Per Deum absit*; ergo non omnino priuatur auxilio sufficiente. Denique talis peccator cum habeat fidem, potest per illam orare,

& ad hoc sufficienter excitatur ipsamet tentatione & periculo, si autem oret, sicut oportet, non denegabitur auxilium; ergo.

Si autem sit sermo de auxilio ad non peccandum diu, quia ad hoc est necessaria gratia sanctificans, auxilium sufficiens ad iustificationem erit consequenter saltem remotè sufficiens ad non peccandum postea quouis tempore, iuxta dicta cap. præcedenti; & illud satis est. Jam ergo probatur nemini fidei negari auxilium sufficiens ad resurgendum à peccato, quando hic viuunt, quia etiam ille peccat quouies debito tempore non seruat penitentiam præceptum quo obligatur, nec enim propter peccata præcedentia excusatur. Idemque de præcepto amandi Deum super omnia: si autem talia præcepta seruet, iustificabitur. Item semper potest orare per fidem, quam habet, & reddit argumentum factum: ab his autem obligationibus nemo excipitur; ergo nec à regula habendi auxilium sufficiens fidelis aliquis excipiendus est.

Dicunt aliqui, tali homini non dari auxilium sufficiens, etiam pro illo tempore, & nihilominus imputari ei peccatum, quod tunc committit, quia propter peccata præcedentia illi denegatur tale auxilium, iuxta illud Pauli ad Rom. 2. *propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conueniunt*. Imò addunt aliqui, etiam per totam vitam denegentur homini talia auxilia, imputantur illi omnia sequentia peccata, quia propter peccatum originale denegantur. Sed hoc nullo modo suffragari potest, quia si homo eo tempore & momento, quo transgreditur præceptum, non habet libertatem, nec potestatem ad vitandum actum, etiam quasi materialis transgressio, & non imputabitur ei ad nouam culpam, & consequenter, nec ad nouam pœnam coram Deo, ut est certa doctrina, ut Paulus dicit de tali homine qui thesaurizat sibi iram; ergo de nouo committit culpam; ergo non imputatur tantum ratione præcedentis culpe. Accedit quod effectus sequutus ex priori culpa, si nullo modo fuit præuius, nec moraliter præiudicari potuit, etiam in priori culpa non imputatur, quia non est voluntarius: in præfenti autem talis effectus non est præuius in præcedenti culpa, & maxime in originali; ergo nullo modo imputatur, si in tempore, quo fit delictum, deest auxilium quo potest vitari; ergo necessarium fandum est in illa oportunitate non negari. Et hæc expressa sententia Augustini lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. 19. & 22. contra Faustum cap. 44. & 5. contra Iulian. cap. 5. & lib. de nat. & grat. cap. 67.

Dices hæc ad summum procedere de fidei, quando in fide perseverat: fieri autem posse ut propter multiplicationem peccatorum ita derelinquantur, ut fidem amittat, & ita omni auxilio sufficiens priuetur. Respondeo, ut talis homo consideratur priusquam amittat fidem, vel postquam amittit illam; in hoc posteriori tempore iam inter infideles numeratur, de quibus capite sequenti dicemus. In priori autem tempore nunquam priuatur auxilio sufficiens ad conseruandam fidem, quantumvis alia peccata multiplicet fidei non contraria: quod patet ratione facta, quia non priuatur auxilio ad vitanda alia peccata in particulari, ergo nec ad vitandum peccatum contrarium fidei, aliàs sentietur, do contra fidem, vel illam negando, non peccaret, & consequenter nec fidem amitteret, nam fides semel habita non admittitur in hac vita sine culpa mortali illi contraria. Ergo fidelis peccator nunquam priuatur auxilio sufficiens ad resurgendum à peccato. Hæc autem intelligenda sunt de auxilio sufficiens communi & ordinario: nam extraordinarium auxilium sæpe priuatur peccatores propter peccata sua, ut capite sequenti dicam. Unde sit ut

Si negaretur gratia sufficiens in determinata occasione alicui, is non peccaret.

sæpe moraliter resurgere non possint propter nimiam difficultatem ex praua illorum dispositione subortam, quâ commune auxilium, licet in rigore sufficiat ad opus, moralem tamen difficultatem non aufert, quæ interdum vocatur impossibilitas vel moraliter, vel secundum Dei præscientiam, & quia in illa difficultate, & impossibilitate sæpe derelinquuntur à Deo, ideo dicuntur in Scriptura deserti, & obdurati, vt in cap. sequenti generalius dicemus. Quædam verò Augustini loca difficilia, quia omnibus statibus peccatorum communia esse possunt, in capite ultimo huius libri tractabuntur.

CAPVT XI.

Quomodo infidelibus omnibus detur auxilium sufficiens ad fidem, & salutem.

SYpponimus generalem regulam cap. 8. constitutam etiam in omnibus adultis, & infidelibus locum habere, quia illi etiam sub illis omnibus quos Deus saluare voluit, sub illisque omnibus, pro quibus Paulus orare obsecrabat, comprehenduntur. Imò Principes & Reges, pro quibus in particulari orationem postulabat, eo tempore infideles erant, & præterea Scripturæ locutiones sæpe sunt ita vniuersales, vt omnes comprehendant, vt Ioan. 1. Illuminatus omnes homines. Apocalyp. 3. Ecce ego ad ostium, & pulso si quis, &c. & huc etiam spectat generalis vocatio Christi Matth. 11. Venite ad me omnes, &c. interdum verò loquitur specialiter de impiis & infidelibus. Et Paulus Act. 14. cum dixisset Deum reliquisse gentes ingredi vias suas, statim conatur ostendere non fuisse relictas sine sufficienti auxilio. Et hoc etiam supponit ad Rom. 1. cum dixit gentes fuisse inexcusabiles. Item Isai. 65. Expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Et hoc etiam probat vniuersalitatem redemptionis Christi, iuxta illud 1. Corinth. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. nam in mundo etiam infideles comprehenduntur, & ideo ipse præcepit Apostolis: Euntes in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ, quia omnibus sine exceptione media salutis præparabat.

Et ad eundem loquuntur de generali largitione gratiæ quantum est ex parte Dei, Patres, quos pariter in dicto lib. 4. de Prædest. cap. 4. allegauimus, pariter in superioribus ostendendo dari reprobis auxilium verè sufficiens; quibus addi possunt Dionys. cap. 9. de cœlest. Hierarch. dicens radium diuini luminis paratum semper esse, & omnibus patere ad participandum, & ad cæcitatem erroris expellendam, Et Nazianz. qui orat. 21. de laudib. Athanas. in principio Deum confert soli qui mundum illuminat vniuersum, quam comparationem eleganter etiam ponderat Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. & August. lib. 1. de Gen. contra Mar. cap. 3. & lib. 1. retract. cap. 10. Cyrillus etiam & Chrysost. in Ioannem, ita exponunt verba illa, illuminat omnem hominem, &c. Chrysostomus item homil. 26. ad Hebr. Denique dicit paratum esse ad omnes iuandos, & idem habet latè Prosp. ferè toto lib. 2. de vocat. gent. præsertim cap. 25. 26. & vlt. denique rationes supra factæ cap. 8. hoc confirmant.

Hæc igitur veritate supposita, quærimus quomodo hæc sufficiens gratia omnibus infidelibus conferatur. Possimus autem infideles in tres ordines distinguere, quidam sunt, quibus non solum prædicata fuit fides, sed etiam interdum donata, ab illa tamen postea per apostasiam, & hæresin ceciderunt. Alij quibus fides prædicata sufficiens est,

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

illam tamen amplecti noluerunt. Alij qui vel nihil de Evangelica fide audierunt, vel certè numquam fuit illis sufficienter proposita. De primis facilis est responsio; dicendum est enim huiusmodi homines antequam fidem perderent, ita recepisse auxilium sufficiens ad perseverandum in fide, sicut accipiunt iusti auxilium sufficiens ad perseverandum in gratia, licet postea illam amittant. Itemque dicimus si tantum fidem mortuam habuerunt, ita accepisse auxilium sufficiens ad comparandam vitam eius, seu charitatem & iustitiâ, sicut alij peccatores, qui semper in fide perseverant, illud accipiunt. Et eadē proportionalis ratio & omnia ibi dicta possunt hic facile applicari, neque in hoc est noua difficultas. Postquam autem isti facti sunt infideles, credendum est non omnino priuari auxilio sufficienti, vt respiciant, iuxta proximè dicta in cap. præcedenti, quia semper manent viatores & resurgere possunt. Quia verò initium iustificationis à fide sumendum est, & illi fide carent, auxilium sufficiens eorum incipit à vocatione ad relinquendum errorem, & ad veram fidem redeundum. Hanc verò vocationem recipere credendum est temporibus opportunis, (sicuti diximus de vocatione ad penitentiam,) quando occurrit aliquid, quod memoriam antiquæ fidei, & prioris lapsus exciter, vel quando necessitas confitendi, aux exercendi fidem occurrit, vel aliis similibus, præter alias occasiones, quas Deus pro sua liberali gratia ad huiusmodi homines excitandos obseruat, vel procurat. Addo insuper præter vocationem ad fidem, posse illis dari auxilia ad aliquâ opera bona, vt in sequenti membro dicam; est enim quoad hoc eadem ratio.

De secundo item genere infidelium, qui non ignorant inculpabiliter Euangelium, quia illis sufficienter propositum est, non est explicatu difficile, quando & quomodo datur eis auxilium sufficiens enter est ad salutem. Nam in illis etiam primum auxilium prædicatum, necessarium est ad credendum: hoc autem illis datum est, quando illis fuit proposita fides; quia, vt diximus, Deus non negat internam vocationem, quando externam concedit; ergo sicut exterius vocati sunt, ita etiam est credendum interius fuisse sufficienter excitatos, vel vt possent immediate vel credere, vel saltem vt aliquam diligentiam adhibere possent ad perfectius audiendum, vel considerandum, vt ita possent paulatim ad voluntatem credendi peruenire, nec enim necesse est, vt hoc auxilium sufficiens à principio sit integrum, & completum respectu deliberati consensu fidei, vel penitentiae, vel alterius similis actus, quasi vltimate intenti; sed satis est quod sit sufficiens ad aliquid agendum, quod si fiat, dabitur vterius auxilium, & sic consequenter donec ad proximum, seu integrum perueniatur: vnde si primus gratiæ impulsus in vacuum recipiatur, quia homo deest gratiæ Dei, contingere potest, vt Deus vterius in motibus gratiæ non progrediatur.

Dices: quod si homo, qui semel prædicata est fides, tunc resistit, & postea iterum non occurrit occasio audiendi fidem, numquid ille homo manet in statu, & reliquo vitæ suæ tempore sufficienti auxilio gratiæ destitutus? Videtur enim id sequi ex declaratione facta, quia tali homini non datur hoc auxilium, nisi per fidei prædicationem: hoc autem videtur absurdum, tum quia alias auxilium sufficiens multis hominibus solum daretur semel, vel iterum in vita, quod non potest dici auxilium absolute sufficiens ad salutem, tum etiam, quia alias talis homo post illam primam resistantiam, & ratione illius maneret quodammodo extra statum, vel saltem extra possibilitatem salutis. Respondeo, si in huiusmodi homine maneat aliqua memoria prioris vocationis, & prædicationis fidei, per illam poterit iterum,

Lapsi à fide gratiam sufficientem receperunt.

Item illi quibus fides sufficienter enter est ad salutem. sed furtis.

3. instantiæ respondetur.